

III. Observatio cuiusdam Meteori igniti instar Chasmatis, facta Hagae-Comit. d. 21 Decembr. 1758. Nov. St. à Petro Gabry, I. V. D. Socio Reg. Societatis Scientiarum Londonicorum et Commercio Literarum cum Acad. Reg. Scientiarum Parisiensium et Societate Regia Scientiarum Gottingensium juncto. Communicata by Mr. Emanuel Mendez da Costa, Librarian of the R. S.

Read Jan. 13, 1763.

HO R A octava vespertina, lumen in-

figne, sive meteoron ignitum instar chasmatis, à me conspiciebatur in cœli plaga ferè occidentali, quum cœlum eo tempore esset nebulosum, perobscurum et tranquillum, zephyro leniter spirante. Aër hoc tempore erat caloris ferè temperati, nam thermometrum mercuriale sub dio denotabat grad. 47. Interdum plaga cœli occidua ardere videbatur, et aëris una cum inferioribus nebulis in flammæ fumosque mutatus. Ipso momento contigit etiam, ut ex ipsa plaga effulgentes flammæ aliquando ad zenith ferè usque ascenderent, et speciem radiorum ejaculantium efformarent usque circa cœli verticem.

Paulò post fulgor apparebat candens et satis notabilis, repræsentans ignem quasi continuum instar massæ igneæ: sub initium fulgor tenuis debilisque erat, mox vero auctus, à plaga aquilonari ad occidentalem ultra extendebar, haud absimilis lumini in horizonte comparenti proxime ante solis ortum. Paulò post

[6]

fulgor rutilum ducebat colorem, ita ut ego, et alii mecum, incendium in vicinia extra urbem coortum arbitraremur; sed aliter edocebamur, cum fulgor sensim altius supra horizontem eveheretur, tantum emittens lumen, ut circumiectas ædes colluistraret.

Ex ipsa massa ignea flammæ tam rapido emittebantur motu, ut duorum triumve secundorum spatio ab horizonte sensibili ad zenith ferè eveherentur, paululum autem ad septentrionem vergentes. Dictam massam evanescitatem excipiebat altera, flamas itidem ejaculans. Quædam flammæ ascendere videbantur, altius tamen quam in vulgaribus incendiis evolabant; quippe quæ ferè ad zenith usque tendebant, aliæ ab horizonte sensibili ortæ rutuli erant coloris, ferri instar igniti.

Hujus meteori figura valde mutabilis erat, ita ut nec certam descriptionem neque minus ejus delineationem dare possim; licet hoc spectaculum pariter jucundum et quodam modo visu horrendum esset.

Hic notatu dignum mihi esse videbatur, quod ejusmodi meteoron, tempestate regelata, nebulosa, et, quod magis est, pluviosa, tanta nitebat luce, ut non lunæ, sed illam potius imitaretur lucem, quæ solem tempore aestivo orientem praecedere solet. Fluctuum quoque instar marinorum aut segetis spicatae in agro undulantis, vento acrius spirante, agitabatur. Micatio præterea continua cernebatur, qualis interdum tempore aestivo vesperi vel noctu è nubibus promicare cernitur, et apud nos vulgo *Zee-vlammen* appellantur.

Hora autem octava cum dimidia meteoron hoc evanuerat, ita ut ne minimum ejus vestigium amplius à me conspiceretur.